

ad gratiam excitantem. Et confirmatur ex Augustino, qui multis in locis ad vocationem reducit totam varietatem in hominis conversione vel sanctificatione, ut videre licet in dicta quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Dono persever., cap. 14. Contra alteram vero partem fit objectio, quia sequitur conatum liberi arbitrii esse radicem et mensuram sanctitatis, quod videtur esse Semipelagianum. Sequela patet, quia gratia adjuvans quoad actuale influxum datur juxta conatum liberi arbitrii; nam si liberum arbitrium non conetur, non datur; si autem conetur, datur, et ita semper juxta proportionem nostri conatus tribuitur; ergo tandem in nostrum conatum fit ultima resolutio.

10. *Ad primam.* — Ad priorem partem, respondetur voluntatem Dei esse primam et principalem causam auxilii adjuvantis, et ideo quamvis auxilium sit veluti proxima mensura sui effectus, non excludere, imo includere voluntatem Dei, tanquam primam et principalem causam. Ad Augustinum vero respondemus, nos hic loqui de auxilio excitante, generaliter abstrahendo ab efficaci vel sufficiente: Augustinum autem illis locis loqui de vocatione congrua, quæ est auxilium excitans efficax, et de illo etiam est verum esse certam regulam sanctitatis; tamen id habet, quatenus aliquo modo includit auxilium adjuvans, ut libro quinto dicitur.

11. *Ad secundam.* — Ad alteram partem, respondetur conatum liberi arbitrii, si per se solum consideretur, non solum non esse regulam sanctitatis, verum etiam nihil per se conferre, ut Pelagiani errabant. Conatus autem liberi arbitrii ut cooperantis adjuvanti gratiæ multum valet ad salutem, et in suo genere potest dici mensura sanctitatis, cum Concilium dixerit illam infundi juxta hominis dispositionem et cooperationem. Inde tamen non sequitur conatum liberi arbitrii esse rationem in qua fit ultima resolutio, cur homini talis vel tanta gratia tribuatur; tum quia (ut dixi) conatus liberi arbitrii non est separandus ab influxu gratiæ adjuvantis: tum etiam quia licet auxilium gratiæ adjuvantis non conferatur nisi cooperanti arbitrio, nihilominus talis cooperatio non est ratio ob quam detur tale auxilium, sed est concausa sine qua non datur: tum denique, quia etiam ille conatus est ex vocatione, et in illam ut in priorem causam reducitur, ut in libro quinto latius dicemus.

12. *Quæstiuncula: utra sit major gratia excitans, vel adjuvans.* — *Motiva pro gratia ex-*

citante. — *Motiva pro adjuvante.* — Ex his vero incidens oritur quæstiuncula, quæ, videlicet, sit major gratia, cæteris paribus, seu ex suo genere, an excitans vel adjuvans. Videri enim potest excitans. Primo, quia magis gratiæ datur, vel saltem minus dependentem a nostra libertate: nam fit in nobis sine nobis, cum tamen adjuvans non detur sine libera cooperatione nostra, in quo videmur nos aliquid ad illam conferre, ex quo capite videtur ratio gratiæ in illa minui. Secundo, quia gratia excitans ex suo genere non supponit aliam gratiam, et ideo si resolvatur usque ad primam, non potest cadere sub meritum, nec esse ullo modo debita. Adjuvans autem gratia ex suo genere, vel cadit sub aliquod meritum quatenus liberum usum postulat, vel saltem semper est debita ratione alicujus gratiæ prioris, quam semper supponit, et ita semper est gratia pro gratia. In contrarium vero est, primo, quia gratia adjuvans magis sanctificat hominem quam gratia excitans, ut in puncto proxime præcedente dicebamus. Secundo, quia actus fidei, charitatis, et similes, qui libere fiunt per virtutes infusas, perfectiores sunt in speciebus suis, quam motus gratiæ excitantis, qui illis cum proportionem respondent, seu qui propter illos dantur, ut videtur per se notum ex hæcenus dictis; tum quia actus virtutum theologiarum sunt perfectissimi in toto ordine gratiæ, et idem est de cæteris cum proportionem; tum etiam quia motus indeliberati gratiæ excitantis ordinantur ad hos actus tanquam imperfectum ad perfectum: sed influxus gratiæ adjuvantis proxime datur ad hos actus perfectos, et realiter est idem cum illis; ergo est perfectior quam excitans gratia.

13. *Resolutio.* — *Gratia adjuvans major est in perfectione absoluta entis.* — *In ratione doni gratuiti servant quædam æqualitatem.* — Respondetur has duas gratias posse comparari, vel in absoluta perfectione entis, vel in ratione seu habitudine liberalis seu gratuiti doni. Priori modo præferenda videtur gratia adjuvans propter rationes factas, nec quoad hoc obstat quod actio gratiæ adjuvantis pendeat a libero arbitrio; tum quia pendet ab illo ut ab instrumento Dei per obedientialem potentiam operante, quod actionis perfectionem non minuit: tum quia etiam motus gratiæ excitantis pendet effective a nostris potentiis, quamvis prior dependentia sit libera, et non hæc posterior, quod non minuit prioris perfectionem, sed potius commendat. In ratione autem doni liberalis fere servant quam-

dam æqualitatem, quia etiam gratia adjuvans, si reducat ad primam in suo genere, non potest cadere sub meritum vel dispositionem hominis, quia non magis supponit opus liberum meritorium, quam gratia excitans; et quamvis requirat cooperationem liberam, non tamen priorem, nec ut rationem ob quam detur, sicut dixi, et ideo nihil minuitur ratio gratiæ. Dixi autem *fere*, quia licet neutra istarum gratiarum sit debita homini alicujus conditionis, naturæ tamen inter se servant ordinem, ideoque, supposita gratia excitante, ratione illius potest adjuvans dici aliquo modo debita, quod absolute non minuit rationem gratiæ, quia illud debitum non tam est respectu hominis quam ex parte Dei et providentiæ ejus, et ex quadam proportionem inter gratias ipsas.

CAPUT XVII.

UTRUM GRATIA EXCITANS SIT PRINCIPIUM PHYSICE ADJUUVANS, PRÆSERTIM UBI HABITUS INFUSUS DEEST.

1. *Status quæstionis explicandæ.* — Diximus de actuali influxu gratiæ adjuvantis, superest ut explicemus quod sit principium supernaturale, a quo proxime et principaliter tale auxilium efficitur; hanc enim supra appellavimus gratiam adjuvantem per modum principii: non tractamus autem de influxu Dei per modum generalis concursus, de quo postea videbimus. Nunc igitur solum agimus de proprio principio particulari, quod juvat potentiam, quæ de se est insufficientis principium proximum ad eliciendos actus illos. Duobus autem modis potentia elicit actus illos: primo, quando jam est informata habitu, et de hac etiam nunc non tractamus, quia supponimus jam habere intrinsecum principium coadjuvans: an vero indigeat aliquo alio auxilio, postea videbimus. Alio ergo modo contingit hujusmodi actum elici a potentia nondum informata habitu, ut in conversione ad fidem contingit in prima voluntate credendi, et in conversione peccatoris fidelis in ultima dispositione ad gratiam, ut infra videbimus; et certior est in remotis dispositionibus supernaturalibus, quæ etiam tempore antecedunt habitualement justitiam, et a solo habitu spei sæpe elici non possunt. De his ergo actibus est difficultas, a qua gratia adjuvante per modum principii physice procedunt.

2. *Prima opinio.* — *Actus supernaturales procedere a gratia excitante tanquam a principio physico.* — *Probatur primo.* — Nonnulli

moderni Theologi docuerunt hujusmodi actus procedere effective ab ipsa gratia excitante, et illammet juvare potentiam tanquam principium physicum ad eliciendum actum. Et primo ad id suadendum inducunt Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, quatenus dicit *peccatores vocari a Deo, ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur.* Significat enim Concilium, hominem cooperari gratiæ excitanti; ergo etiam sentit excitantem gratiam cooperari ipsi homini: nam hæc duo correlativa sunt, et consequendo etiam significat eandem gratiam excitantem cooperando homini fieri adjuvantem; ergo sicut cooperatio hominis physica est, ita etiam cooperatio gratiæ excitantis; ergo est gratia adjuvans per modum principii physici.

3. *Probatur secundo.* — Secundo, ad idem inducitur Augustinus, quatenus sæpe docet vocationem esse gratiam efficacem, unde aliquando vocat illam effectricem bonæ voluntatis, interdum de illa dicit dare vires efficacissimas voluntati, sæpe etiam per vocationem dicit facere Deum ut velimus, vel ut faciamus, et auferre ab homine cor lapideum, et dare cor carneum, et similes effectus quos Scriptura divinæ gratiæ tribuit. Hos autem effectus facit Deus in nobis vere et physice; ergo principium proximum, per quod illos facit, est vocatio; ergo etiam vocatio facit illos proprie et physice, nam illa verba hoc in proprietate significant, et nulla est ratio ob quam ad metaphoricos sensus trahantur. Vocatio autem (ut sæpe diximus) est gratia excitans; ergo.

4. *Probatur tertio.* — Tertio, additur ratio, quia voluntas indiget aliquo principio supernaturali coefficiente hujusmodi actum, et non habet habitum, ut supponimus, nec aliud potest facile fingi; ergo non potest esse nisi excitatio ipsa. Et confirmatur, nam per illam datur homini auxilium sufficiens, ut possit operari, si velit; ergo per illam datur principium physice adjuvans: nam sine hoc non potest voluntas velle, sicut oportet; ergo hoc etiam principium datur per gratiam excitantem; ergo ipsamet gratia excitans est tale principium, quia præter illam nihil cum illa, aut ex vi illius necessario datur.

5. *Rejicitur hæc opinio.* — *Quia gratia excitans neque est forma connaturalis ad hunc effectum, neque instrumentum physicum Dei ad juvandam voluntatem.* — Nihilominus assero

motus gratiæ excitantis non esse principia physica adjuvantia potentiam ad eliciendos actus deliberatos gratiæ adjuvantis. Hæc assertio ratione præcipue probanda est, quia in hoc puncto non habemus positivam auctoritatem Scripturæ, Conciliorum aut Patrum; supposita autem ratione, auctoritate negativa satis probabiliter eam confirmare poterimus. Rationem autem in hunc modum declaro: nam duobus modis cogitari potest, quod motus excitantis gratiæ sit principium formale, quo voluntas, verbi gratia, elicit supernaturalem consensum. Primo, quia natura sua est forma connaturalis potens producere talem effectum, et habens ad hoc sufficientem virtutem in suo genere principalem, ad eum modum quo habitus infusus censetur esse principium sui actus. Secundo, potest motus gratiæ excitantis cogitari tanquam instrumentum physicum, quo Deus utitur ad juvandam potentiam carentem habitu, elevando nimirum motum ipsum excitantis gratiæ ad hanc efficientiam, quamvis ad illam ex se non habeat connaturalem vel sufficientem virtutem; neutro autem horum modorum videtur posse satis probabiliter defendi illa gratia; ergo asserenda non est.

6. *Primum ostenditur.* — Probo igitur imprimis in motibus gratiæ excitantis non esse talem vim activam, et in suo ordine connaturalem. Primo, quia contingere potest motum excitantis gratiæ esse in intellectu, et consensum esse in voluntate; vel e converso actum excitantem esse in voluntate, et movere ad actum intellectus; vel utrumque actum, excitantem et excitatum, esse ejusdem potentiæ; nullo autem ex his modis potest actus gratiæ excitantis esse principium physice efficiens deliberatum consensum; ergo. Major supponitur ex supra tractatis. Minor autem quoad duas priores partes probatur, ratione utriusque communi, quia, inter actus immanentes, actus unius potentiæ non est principium physice efficiens alterius potentiæ actum, ut est in Philosophia magis receptum; tum quia actus unius potentiæ non perficit formaliter aliam; nulla autem forma dat virtutem agendi, nisi subjecto et potentiæ cui inest; tum etiam quia isti actus immanentes, etiam in propriis potentiis ordinariè non efficiunt nisi habitus, ut statim dicam; ergo multo minus possunt efficere actus alterius potentiæ.

7. *Deinde actus intellectus non efficit physice actum voluntatis.* — Declarantur præterea singula membra; nam actus intellectus non

excitat voluntatem in ordine supernaturali, nisi illo modo quo voluntas secundum connaturalem ordinem nata est moveri ab intellectu: at vero secundum naturalem ordinem intellectus non movet voluntatem per suum actum physice efficiendo actum voluntatis, sed vel mediante objecto quod illi præsentat, vel persuadendo, vel alio simili modo moraliter movendo; ergo idem est in excitatione supernaturali. Minor ab omnibus philosophis recepta est; nemo enim dixit cogitationem malam esse principium physicum, quo voluntas præbet consensum peccati, vel cogitationem bonam esse simile principium honestæ volitionis; nam cogitatio est valde extrinseca voluntati, et non constituit illam in actu primo ad agendum, et ideo non potest illi dare vim propriam et physice activam. Unde licet inter philosophos sint variæ opiniones, an bonum cognitum concurrat effective ad specificationem actus voluntatis, omnes in hoc videntur convenire, quod ipse actus cognoscendi non est principium formale eliciendi seu efficiendi actum voluntatis, et inter opiniones de objecto cognito, ea longe probabilior est, quæ negat habere tale objectum propriam efficientiam physicam in voluntatem, sed tantum finalem, metaphorice alliciendo, et quasi formam extrinsecam speciem tribuendo. Ac denique, licet daremus objectum illud aut conceptum ejus habere aliquam efficientiam in voluntatem, nunquam dat illi virtutem agendi necessariam ex parte voluntatis ad eliciendum suum actum, et ideo ex illo capite nunquam potest intellectus actus esse principium eliciens cum voluntate actum ipsius.

8. *Idem contingit in actibus supernaturalibus intellectus et voluntatis.* — Quod autem eodem modo inter supernaturales actus philosophari debeamus, probatur ex altera propositione assumpta, quia eadem est proportio vel subordinatio virtutum et actuum supernaturalium intellectus et voluntatis, quæ est ipsarum potentiarum inter se, quia licet sint excellentioris ordinis, semper continentur sub eisdem generibus intelligendi et videndi; et ideo cum eadem proportione ad illum ordinem ascendunt, nec nos possumus aliter de illis judicare, præsertim cum nihil aliud de illis revelatum nobis sit. Imo potest hoc ipsum inductione quadam, etiam in ipso ordine supernaturali, confirmari: nam actus fidei fortius excitat voluntatem ad actum charitatis, quam cogitatio aliqua minus perfecta gratiæ excitantis. Nemo autem dicit actum fidei esse prin-

cipium physice efficiens actum charitatis vel contritionis. Imo etiam beata visio dici potest supernaturaliter excitare voluntatem ad amandum, et tamen actus videndi non est principium efficiens actum amandi. Et licet daremus objectum propositum per fidem, vel visionem concurrere effective ad specificationem amoris, nihilominus per actum intellectus vel objectum illius, ut tale est, non datur voluntati virtus amandi supernaturalis, et ideo etiam in patria est necessarius actus charitatis; et si ille deesset, esset necessarium aliud principium, quod efficacitatem ejus suppleret. Ergo multo minus potest in via sola excitatio intellectus dare voluntati virtutem ad eliciendum actus supernaturales, quam natura sua non habet, aut supplere illam quam daret habitus si adesset, et quæ ex parte potentiæ, et non ex parte objecti necessaria est.

9. *Neque actus voluntatis producit physice actum intellectus.* — Alterum membrum erat, quando motus voluntatis excitat intellectum, vel inducit illum, quod duobus tantum modis in ordine naturalium actuum contingit, scilicet, vel directe applicando seu movendo intellectum ad exercitium actus, vel indirecte tantum per quamdam veluti resultantiam. Priori modo excitat voluntas intellectum ad credendum, directe volendo ut assentiatur; posteriori modo per timorem, verbi gratia, excitat ad bene judicandum de turpitudine peccati, et per piam affectionem ad rem præceptam, vel ad præcipientem inclinatur intellectus ad bene judicandum de re præcepta, aut de præcepto observando: neutro autem modo actus voluntatis est principium formale physice efficiens actum intellectus, sed applicat tantum potentiam ad agendum per quamdam naturalem sympathiam et subordinationem potentiarum, quæ in eadem anima radicanter, ut ex philosophia suppono quoad rationes naturales, et eadem proportio servanda est in supernaturalibus, propter rationem supra factam.

10. *Quod ostenditur in voluntate credendi.* — Et declaratur in voluntate credendi; non enim est principium proprium et physicum assensus fidei, qui est in intellectu, alias non indigeret intellectus habitu proprio ad credendum, quia per illum actum voluntatis sufficienter juvaretur, quod est manifeste falsum. Et ratio est, quia voluntas se habet quasi imperans: potentia autem imperans non dat virtutem exequendi potentiæ imperatæ, sed supponit illam. Unde (quod ad rem maxime spectat), licet illa motio voluntatis esset per ali-

quem influxum physicum imperativum, (ut sic dicam), nihilominus, ad eliciendum assensum supernaturalem fidei, indiget intellectus proprio supernaturali principio, quod voluntas illa supplere non potest. Ergo multo minus quilibet alius actus indirecte excitans vel inducens intellectum, potest esse proximum principium physice efficiens ipsum assensum, vel supplens vicem habitus intellectualis, quia et minorem proportionem habet, et minorem magisque accidentarium influxum in ipsum intellectum, ut per se notum est.

11. *Idem demonstratur quando actus sunt ejusdem potentiæ; neque enim tunc potest esse principium physicum alterius, quod ostenditur in intellectu.* — Tertium membrum erat, quando actus sunt ejusdem potentiæ: nam illuminatio, verbi gratia, vel interior doctrina, quæ in intellectu antecedit per modum gratiæ excitantis ad actum fidei, comparatur ad illum sicut apprehensio ad iudicium, vel ad summum sicut iudicium de credibilitate ad iudicium de veritate rei propositæ. Apprehensio autem non est principium efficiens iudicium, quando ab illo distinguitur, sed materialiter tantum se habet applicando objectum, et licet in suo genere, seu ex parte objecti haberet aliquam efficientiam, nihilominus ex parte potentiæ supponere debet virtutem in suo genere integram, ut est in naturalibus, vel lumen intellectus per se solum respectu conclusionis per se notæ, vel adjutum iudiciis præmissarum respectu conclusionis, etc. Sic ergo in supernaturalibus tota illa apprehensio vel illuminatio, quæ antecedit assensum fidei, non dat vim per se activam intellectui ad credendum supernaturaliter; sed illam dat habitus quando adest; quando vero deest, aliunde suppleri debet, nam est longe diversæ rationis, ut declaratum est. Idemque evidentissimum est in iudicio credibilitatis, nam ex illo non infertur iudicium veritatis, ut propter connexionem posset unum iudicium aliud efficere. Unde credibilitatis iudicium immediate inducit voluntatem, non tamen dat facultatem intellectui, ut credat esse verum quod iudicatur credibile. Accedit quod omnes isti actus, antecedentes in intellectu actum credendi, sunt minus perfecti quam ipse actus credendi; ergo non possunt dare proximam et principalem potestatem ad eliciendum ipsum actum credendi, quam dat habitus, ac proinde non possunt vices ejus supplere.

12. *Idem ostenditur in voluntate.* — Atque hæc rationes locum habent in motibus volunta-

tis, nam etiam in illa motus gratiæ excitantis sunt minus perfecti quam actus deliberati charitatis, vel aliarum virtutum infusarum, et ideo non possunt illos efficere tanquam principia proxima principalia. Item, quia isti actus non habent connexionem necessariam inter se, nec unus per se, et ex natura sua ordinatur ad alterum, sed juxta ordinem divinæ sapientiæ, et observata hominis capacitate, interdum per amorem, interdum vero per timorem excitatur homo ad eundem consensum. Actus autem voluntatis non est principium alterius, nisi forte quando per se unus ad alium ordinatur, sicut electio ad intentionem, quæ connexio non invenitur inter motus gratiæ excitantis, et actus deliberatos voluntatis; ergo non possunt esse connaturalia principia effectiva illorum. Accedit quod præter motus gratiæ excitantis requiritur, per se loquendo, habitus adjuvans potentiam; ergo sola gratia excitans non dat virtutem agendi, quam dat habitus, neque supplet illam quando habitus deest, alias non esset necessarius habitus. Probatur hæc consequentia, quia etiam justi habentes habitum indigent gratia excitante ad usum illius, ut supra probatum est; ergo si illa esset connaturale principium sicut habitus, cum aliunde semper præcedat, non esset necessarius habitus.

13. *Gratia excitans non est principium physicum cum habitu infuso, qui per se sufficit.* — Unde quando homo operatur ex habitu infuso, tunc gratia excitans non concurrat ut principium physicum, quia habitus sufficit; ergo signum est excitationem non habere natura sua illam activitatem. Responderi potest habere quidem illam, præveniri autem per habitum, et impediri ne actu efficiat: sed hoc gratis dicitur; cur enim non potius ipsa prævenit et impedit habitum, cum sit actualis motio. Item ad quid multiplicentur virtutes activæ ejusdem ordinis, quæ se in agendo impediunt. Magis ergo consequenter diceretur utrumque principium simul tunc concurrere, et se juvare ad facilius producendum effectum. Contra hoc vero obstat, quia inde sequitur habitum infusum non dari posse, nec esse necessarium ad connaturaliter operandum, quia gratia excitans dat sufficientem potestatem physicam, et consequenter sufficit ut actus connaturaliter fiat, quia illa virtus esse dicitur intrinseca, et sufficit per modum principii proximi principalis: contrarium autem docent de habitibus infusis communiter Theologi; ergo signum est in motibus gratiæ ex-

citantis illam virtutem activam non agnovisse.

14. *Gratia excitans non est instrumentum physicum effectivum actus supernaturalis. — Non quidem est instrumentum naturaliter ordinatum ad talem effectum.* — Superest ut probemus hos actus excitantis gratiæ non esse instrumenta physica efficientia actus gratiæ adjuvantis. Aut enim essent instrumenta connaturalia, et natura sua ordinata ad talem effectum instrumentaliter efficiendum, aut essent instrumenta tantum elevata ex sola libera voluntate Dei, et positiva institutione. Primum non potest dici cum probabilitate; tum quia fere omnibus rationibus factis impugnari poterit, et præsertim quia inter actus similes ordinis naturalis non invenitur talis efficientia instrumentalis; ergo sine causa fingitur inter actus ordinis supernaturalis, servata proportione; tum etiam quia cum motus gratiæ excitantis sint minus perfecti, ut dictum est, licet haberent instrumentalem efficientiam, indigerent aliquo principio principali, quia instrumentum imperfectum per se non sufficit, et tunc insurgit eadem difficultas, nimirum quod sit illud principium, quando deest habitus, præterquam quod, posito alio principali principio, sine causa fingitur illa instrumentalis efficientia, cum in hujusmodi actibus non soleat esse necessaria.

15. *Neque est instrumentum elevatum.* — Unde altera pars de instrumento elevato et quasi miraculoso, licet impossibile non sit, non potest cum fundamento firmari, quia de his quæ sunt supra naturas rerum, et ex divina pendunt voluntate, nihil affirmandum est, nisi quod vel est revelatum, vel ex revelatis sufficienter colligitur, vel saltem sufficienti auctoritate probari potest; nihil autem horum in præsentibus invenitur; ubi enim est hoc revelatum, aut ex quibus principiis revelatis colligitur? De auctoritate vero statim dicam. Et confirmatur, nam si motus ipsi gratiæ excitantis ex se non habent connaturalem vim activam perfectorum actuum, ergo ut eleventur ad agendum indigent vel additione alicujus virtutis, vel saltem speciali motione et cooperatione Dei. At vero eadem facilitate potest Deus immediate elevare ipsas potentias ad eliciendos ipsos actus sine habitibus, ut infra ostendemus; ergo non est ponenda in his motibus gratiæ excitantis talis elevatio, vel instrumentalis effectio sine aliquo fundamento vel necessitate. Declaratur tandem a simili, quia etiam potest Deus efficere in nobis habitum,

verbi gratia, charitatis per primum actum charitatis, tanquam per instrumentum physicum, et simili modo illum augere per actus subsequentes, et tamen, ut infra videbimus, communiter id negatur, quia illa effectio non est connaturalis, et miraculosa non est asserenda sine fundamento revelationis, seu auctoritatis. Denique tamen de contritione, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, id verisimiliter credi potest, quia in institutione illius Sacramenti potest probabiliter fundari; ergo sine ullo fundamento simili non est probabilis similis assertio.

16. *Eadem opinio probatur auctoritate negativa, quæ in his magni ponderis est.* — Atque hinc tandem probare possumus nostram sententiam auctoritate negativa, quæ in his rebus supernaturalibus magnam vim habet. Et imprimis nec D. Thomas, nec alii Theologi antiqui, vel qui ante paucos annos scripserunt, hujusmodi efficientiam motibus gratiæ excitantis tribuerunt, quod ego viderim vel allegatum invenerim, quamvis diligenter quæsierim; imo, ut supra argumentabar, cum omnes requirant habitus infusos operativos, qui dent intellectui et voluntati potestatem efficiendi hos actus, eo ipso supponere videntur nullum actum priorem intellectus vel voluntatis dare illis virtutem activam ad efficiendos alios actus subsequentes. Unde cum in particulari tractent quæstionem de primo actu qui est dispositio ad habitum, a quo principio supernaturali proximo eliciatur, multi contendunt elici ab eodem habitu ad quem disponit, quia profecto supponunt non esse in nobis aliud prius principium supernaturale creatum, et nobis inherens ad efficiendum physice talem actum; qui autem negant illum elici ab habitu, quærent alios modos quibus potentia juvetur physice ad eliciendum actum, excitanti autem gratiæ illud adjutorium non attribuunt; neque etiam in Patribus aut Conciliis habet illa sententia fundamentum; nullum enim affertur præter ea quæ in principio allegata sunt, quæ nihil probant, ut respondendo facile patebit.

17. *Respondetur Concilio Tridentino adducto num. 2.* — Ad Concilium ergo Tridentinum, jam supra dixi potius ex eo colligi adjuvantem et excitantem gratiam aliquo modo distingui, quia semper de illis ut de pluribus loquitur. Neque obstat quod in singulari dicat *eidem gratiæ*; tum quia loqui potuit de tota illa gratia tanquam de uno adjutorio completo ex excitante et adjuvante gratia, cui homo coo-

peratur. Verum tamen est Concilium non explicasse modum illius distinctionis, nec an intercedat inter principia excitantia vel adjuvantia, vel inter ipsas naturales motiones utriusque gratiæ. Unde licet concedamus, quando Concilium dicit hominem eidem gratiæ cooperando se disponere ad justitiam, referre gratiam excitantem, inde colligi non potest efficientia physica gratiæ excitantis in actu gratiæ cooperantis, quia etiam causa moralis dicitur operari, et homo dici potest cooperari gratiæ excitanti, ut moraliter adjuvat, sicut Jacobi 2 dicitur fides cooperari operibus hominis justi, et Paulus, ad Galat. 5, dicit fidem per charitatem operari.

18. *Satisfit Augustini locis n. 3 relatis.* — Eademque responsio habet locum in locutionibus Augustini, omnes enim propriissimum sensum habent in causalitate morali, et si quis illum attente legerit, non aliam causalitatem tribuit vocationi, ut nostram salutem operanti: ipsa autem vocatio propria et physica actione fit a Deo in nobis, et ita per illam proprie operatur salutem nostram: sicut homo proprie et physice efficit contritionem, per illam autem non nisi moraliter et dispositive causat suam sanctificationem, et nihilominus in Scriptura dicitur homo pœnitens vivificare animam suam, et sanctificare se, quæ omnia in libro quinto latius explicabuntur. Ratio autem ibi adducta cum confirmatione non probant ipsam excitationem esse principium physice adjuvans, sed probant cum excitatione dari, vel præsto esse homini principium sufficiens ad adjuvandam potentiam, etiam in genere physico. Quod autem sit hoc principium, in sequentibus capitibus inquiremus.

CAPUT XVIII.

UTRUM IN HOMINE LIBERE AC SUPERNATURALITER OPERANTE SINE HABITU, PRINCIPIUM ADJUVAANS AD TALEM ACTUM SUPERNATURALEM ELICIENDUM, SIT ALIQUID CREATUM ANIMÆ INFUSUM.

1. *Status quæstionis.* — Cum ostensum sit motum gratiæ excitantis non esse immediatum principium physice concurrens cum potentia ad eliciendum liberum et perfectum actum, necessarium est, inter motum gratiæ excitantis et actum supernaturalem liberum, intercedere aliquid aliud proprium, quod physice juvet potentiam ad eliciendum talem actum, ideoque inquirendum superest quodnam sit illud principium. In qua re aliqui moderni